

1198-1216- SS Innocentius III - De Beatissima Virgine Maria Et Filio Ejus Jesu Christo Encomium
Migne - Patrologia Latina - Volumen 217: Col [0915] - [0916C]

[0915]

**INNOCENTII III PAPAE DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA ET
FILIO EJUS JESU CHRISTO ENCOMIUM.**

[0915B]

Virgo Dei genitrix virga est, flos filius ejus. Praesumo pauca, et pauca loqui de virgine virga, et filio flore. Mira floris summitas et inattingibilis virgae proceritas. Haec est virga recta, virga erecta, procera, fragilis, gracilis, flexibilis, frondosa, florigera, fructifera. Recta per justitiam, erecta per devotionem, procera per longanimitatem, fragilis per abjectionem sui, gracilis per humilitatem, flexibilis per mansuetudinem, frondosa per sanctissimam conversationem, florigera per virginalem conceptionem, per partum vitae aeternae fructifera. Recta per fidem, erecta per spem, procera per charitatem, fragilis per pudorem, gracilis per despectionem mundi, flexibilis per compassionem proximi, frondosa per bonorum operum executionem, florigera [0915C] per gloriam virginitatis, fructifera per praerogativam fecunditatis. Miranda fecunditatis praerogativa, quod talis talem, taliter genuit. Gracilis virgo ante partum, et virgo post partum. Qualiter, angelo annuntiante, Spiritu sancto operante, virtute Altissimi obumbrante (Luc. I). Qualem, Sanctum sanctorum, unicum matris virginis, unigenitum Dei Patris, Deum et Dominum majestatis. O quam bene, quam recte flos dicitur, quae ex virginali virga perducitur, in quo semper sunt quae miremur! [0916B]

Est enim tenuis, tener et levis, lenis et pulcher, flagrans et utilis. Quid enim flore isto tenuius cum astringitur, quid tenerius cum atteritur, quid lenius cum attractat, quid levius cum portatur, quid speciosius cum aspicitur, quid flagrantius cum adoratur, quid utilius cum effectus attenditur (Psal. LXIV). Filius virginis et flos tenuis ad indignationem, tener ad miserationem, lenis per mansuetudinem, levis dominatione, pulcher moderatione, flagrans reprobatione, utilis remuneratione. Est ergo tenuis flagellis, tener misericordiis, lenis in donis, levis in paeceptis, pulcher exemplis, flagrans promissis, fructuosus in praemiis. Hic flos factus est nobis medicina, in ipso potus et esca, ex eo mel et cera. Medicina in redēptione, potus et esca in justificatione, [0916C] mel et cera in glorificatione. Ex hac medicina sempiterna sanitas incorruptionis, ex hac medicina esca refectionis internae satietatis, ex hac medicina potus ebrietatis spiritualis, aeternae fecunditatis, de illius cera splendor summae claritatis, in ejus melle dulcedo perpetuae felicitatis. Flos est nobis Christus in humanitate, fructus in divinitate: flos in terris, fructus in coelis; flos in redēptione, fructus in glorificatione. Quem ipse nobis largire dignetur. Amen.